



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 49. Hesselii, & Baji Epistolæ Mechliniensis Vicarii Generalis jussu  
interceptæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI., mo septimo., Porro iidem, qui  
 A.C. 1567. supra, erant subscripti.

§. XLIX.

*Hesseli, & Baji Epistolæ Mechli-  
 nensis Vicarii Generalis jussu  
 interceptæ.*

Equidem haud immerito hi Doctores Bullæ exemplar sibi tradi, a Vicario generali petebant, eoquod hoc diploma observare jussi essent, atque aliunde circa eorum propositiones dubia, ac contentiones oriri possent, quæ tamen minus expedite dissolvi valerent, nisi illæ cum Bullæ textu conferrentur: necessarium igitur videbatur, ut ejusmodi exemplar Facultati relinqueretur, nam æqua erat horum Doctorum petitio, nihilominus Morillonius id concedere constanter recusabat: magis tamen indulgentem se exhibebat circa aliam petitionem, quæ libros, ex quibus propositiones erant excerptæ, concernebat. Equidem ad supprimendos hosce libros, eorumque lectionem inhibendam nondum publicum edebatur decretum, Vicarius tamen omnia operum illorum, quæ Hesselius, & Bajus ediderant, exemplaria cunctis librariis abripi, eaque ad ædes suas transferri jussit, novumque quemdam libellum jamjam prælo subjectum imprimi prohibuit,

hibuit, non sine magno Baji mœrore, hic tamen Doctor pacis amore sese demisse submittens non sine proborum admiratione abstinuit ab omni apologia, vel explicatione, qua suas propositiones honestare potuisset: at progressu temporis hoc negotium magnos suscitavit tumultus, ut sequentibus annis perspiciemus.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1567.

§. L.

*Continuata Religionis dissidia in Belgio*

Cum interea, ne Baji doctrina altiores ageret radices, Doctores Lovanienfes toto studio adlaborarent, hærefis in Belgio tam magnos fecerat progressus, ut Philippus, qui Belgis dominabatur, bellum illis inferre decerneret, dissuadentibus licet quamplurimis, imo ipsomet ejus Confessario, qui Regem ab hoc proposito dimovere nitebatur. Jam supra libro priori memoravimus, quod fœderati Mense Octobri anno salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto Ruremundæ convenerint, mox tamen conventum hunc solverint, eo quod in nullo Religionis articulo inter se concordiam stabilire possent.

*Strada de bello Belgico l. 6. Thuan. l. 40.*

Postea Orangius Princeps in Hollandiam contendens Antverpiensis Ur-

G 5

bis